



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

5 Quid sit veritas, & quæ eius functiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)



vel damni reparationem, illud desiderium est ex affectu proprii commodi, & sic non est actus virtutis, sed quid adiaphorum: huic tamen coniunctus est alius affectus, quo non vult illam reparationem fieri, nisi secundum regulas Iustitiæ, & hic est actus Iustitiæ. Id enim quod volumus affectu proprii commodi, possumus ex affectu Iustitiæ vel alterius virtutis velle exequi secundum leges illius virtutis, & sic executio operis quoad modum est actus virtutis, quoad substantiam præcisè consideratum, non est.

Quo modo vindicatio sit actus virtutis.

27 Melius igitur noscere priuatas iniurias.

Ex dictis sequitur, multò melius esse propter Deum ignoscere, quam vindictam expetere; nisi fortè publicum bonum aliud postulet. ratio est, quia appetitio vindictæ ob iniuriam priuatam, per se non est virtus. eùm ex amore proprii commodi oriatur; vnde nemo propter hoc laudari solet. Ille autem affectus circa modum executionis, etiam si sit actus virtutis, tamen hæc virtus est valdè parua, multum habens adiunctum ex amore proprio, à quo & ipsa applicatur ad moderandum actum punitionis. est hic etiam periculum ne & affectus charitatis violetur, & odia excitentur. Denique res non est optimi exempli. In condonatione est officium charitatis in Deum & proximum, est imitatio Christi Domini & Patris celestis, est consilium euangelicum, est edificatio proximi, est victoria sui, est magna pax animi & tranquillitas vitæ, est singularis fiducia impetrandæ remissionis à Deo: remissio enim peccatorum ijs, qui proximis iniurias remittunt, peculiariter promissa est. Denique sæpè est lucrum animæ malefactoris. Interdum tamen ratio postulat vt desideremus vindictam, vt diximus; tum vt malefactor in posterum coërceatur, tum ad exemplum aliorum, ne similia audeant attentare. hoc tamen magis in iniuriis Dei, quam nostris faciendum. Interdum tamen etiam in nostris, ita tamen vt poena, quam petimus irrogari, minor sit iniuriæ acceptæ. vide epistolam D. Basilij ad Candidianum.

Aliquando vindicta expetenda.

28 Vindicationi per excessum opponitur crudelitas: per defectum omisso, vel nimia remissio in malefactoribus castigandis, ex qua fit vt eorum audacia crescat.

D V B I T A T I O V.

Quid sit veritas, & que eius functiones.

D. Thomas quest. 109.

29 Veritas duplex.

Veritas propriè est conformitas iudicij ad rem iudicatam, vel signi ad rem significatam: sed hoc loco accipitur pro virtute, quæ procurat vt in sermone, scriptura, gestibus, aliisque signis, quibus aliquid significare intendimus, sit veritas, saltem secundum nostram conscientiam, seu prout eam nouimus: siue quæ curat vt sit conformitas & consensio linguæ & mentis, signorum externorum & internæ conscientiæ: vnde hæc virtus dicitur veritas, quia veritatem in signis, quibus aliquid significare volumus, affectat & procurat. facit itaque nos rectè vt signis, quæ nobis data sunt ad mentem alteri patefaciendam; qui rectus vsus in eo consistit, vt signa sint menti conformia.

30 Est virtus specialis.

Ex quibus patet Primò, Veritatem esse virtutem specialem à ceteris distinctam; quia speciale bonum rationis spectat, videlicet veritatem in di-

ctis & factis; & specialis laus est in oratione & vita colere veritatem.

Patet Secundò, Esse virtutem annexam Iustitiæ: tum quia versatur circa ea quæ diriguntur ad alterum; nimirum circa signa quibus aliquid alteri intendimus significare: (signa enim non sunt data homini propter se, sed propter alterum, cui aliter mentem suam aperire nequit) tum quia spectat in his rationem debiti, non legalis seu stricti, sed moralis.

Obiectum igitur materiale huius virtutis est, signa externa, quibus mentem nostram patefacimus proximo. Ratio obiectiua est, esse verum, seu conforme menti, quatenus id quodammodo debetur proximo. debitum, inquam, non ex parte ipsius, sicut benefactori debetur compensatio; sed ex parte nostra, ne nos turpes simus, & parum ad vitam ciuilem idonei. nam Primò per se turpe est, linguam à mente dissidere, & cum ea veluti pugnare. Deinde sine veritate vita socialis non bene & commodè constare potest. Itaque hoc debitum est solùm morale, & ex honestate virtutis proueniens. quod intellige de debito veritatis per se considerata, seposito omni alio vinculo: nam in contractibus debetur ex iustitia, in iureiurando ex lege religionis.

31 Obiectum huius virtutis.

Obiectum cui, est proximus. huic enim debetur hæc veritas; quia talis est, qui cum conuersatio & amicitia haberi possit.

Functiones huius virtutis sunt, Primò, Amor veritatis in dictis & factis. hic est primus & intrinsecus actus huius virtutis: nam ipsa essentialiter in habituali amore veritatis consistit.

32 Functiones veritatis.

Secundò, Cautio ne quid contra iudicium mentis dicatur, aut significetur: ad hoc autem obligat lex huius virtutis pro omni tempore.

Tertiò, Patefacere iudicium mentis. ad hoc non obligat pro quouis tempore: nam sæpè expedire mentem non aperire, sed tegere, & multis aliis circumstantiis opus est vt patefacere mentem sit opus virtutis: vnde melius diceretur opus huius virtutis esse, quando mens patefacienda est, procurare vt oratio menti sit conformis. hoc enim est quod hæc virtus spectat tamquam proprium bonum in debita materia. materia autem debita non est, nisi ad sint circumstantiæ, quæ efficiant vt mens honestè aliis patefieri possit.

Quarò, Inquirere veritatem rei, quando aliquid absolute affirmandum vel negandum est. qui enim affirmat vel negat aliquid, cuius est nescius vel dubius, non est verax, quia dicta non sunt conformia menti, aliter enim loquitur, aliter sentit. Deinde quia omnis virtus, vt præter opus suum, debet adhibere conuenientem circumspeditionem & diligentiam, ne offendat.

Quintò, Exequi promissa: hoc enim necessarium vt promissa sit vera; quamuis ad hoc magis ex virtute fidei obligemur. quam esse distinctam à virtute veritatis, supra cap. 18. dub. 8. ostensum est. hæc tamen intelligenda, nisi quid accidat quod excuset, vt ibidem dictum est: promissio enim multis euentis non est præstanda.